

1571 ftes ab Antibaris aditu intercludere nitebantur. Olchinii milites accolarum auxilio, Cornum, & Diui Georgij fauces inferant, quibus ex locis, ingruentibus parua militum manu, obsisti poterat, cum opportune Nicolaus Surianus, Olchinienfium periculo cognito, nouis militibus ex Ascriuio in urbem inuectis, praesidium auxit, aditus arctius interclusit, cum Hieronymi Pisauri, & Alberti Contareni triremibus, qui circumiecta litora confederant, hostes multis detrimentis, atque incommodis adeo affecit, ut licet prope in conspectu nostrorum essent, ad invadenda, atque oppugnanda Venetorum oppida cominus progredi non auderent.

Nicolaus
Surianus
subsidia Ol-
chinium
mittit.

Olchinium
a Turcis in-
vaditur.

Olchinium
a Turcis
captum.

Verumtamen adventantis Turcicae classis rumoribus aucti animis hostes, nostros ex angustiis deicere, atque in Olchinienfem agrum aditum sibi facere adnituntur. Duplici exercitu terra, marique petitam urbem, neque moenium firmitate, neque aggeribus satis munitam, praesidio in dies immunito, nostri difficulter tutari posse rati, milites ex adituum custodia intra moenia compellunt, Acmatem, qui cum quindecim millium copiis oppido appropinquaverat, repellere conantur. Italarum, & Gallorum virtute, ex quibus id constabat praesidium, oppidanorum ferocia, ac multorum, qui e Scodra, aliisque locis convenerant, fortitudine submoti hostes, nondum moenia subire poterant, cum Martinengius, hostili tormento pinna moenium decussa, ruina fere obrutus est, ita ut sensu linqueretur; qua ex re tantum trepidationis propugnatorum animis est injectum, ut, Turcica classe in urbis conspectum prodeunte, cum ancipiti praelio imparem se Martinengius cognosceret, spe Olchinii tuendi prorsus dejectus, una cum Hieronymo Venerio praetore de deditioe facienda consilia inierit. Orembejo, Turcici idiomatis interprete Lucensi a Pertao ad nostros misso, iis legibus pacta deditio, ut militum, atque oppidanorum vitae, ac fortunis consulere, unicuique abeundi libera facultas esset, nulla injuria, aut vis iis, qui manere vellent, inferretur; Epidaurum milites cum armis, atque impedimentis perducerentur. His scripto firmatis, Hieronymus Venerius, ac Sarra Martinengius triremes conscendere. Antonius Brutus, Olchinienfis eques, qui egregiam Reipublicae

ope-